



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

21. Et Concilij Basileensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

quatuordecim, praesedit Clemens V. natione Gallus, ipsisque Gallis addictissimus, qui que Sedem Pontificiam Avenionem transtulerat, gemente aut indignante Italia. In hoc Concilio nostram sententiam Ecclesia Gallicana iterum professæ est, videlicet: *Ecclesiam Romanam à Græcis Romanum Imperium ad Germanos transtulisse, & ad certos eorum Principes jus & potestatem eligendi Regem ab eadem Ecclesia pervenisse, &c.* Quæ verba sunt ipsius Clementis in Concilio Viennensi, imò ipsius Ecclesiæ Gallicanæ, quæ maximam hujus sacri Senatûs partem implebat.

XXI. Anno MCCCXXXII. Synodus Basileensis in Salvo Conductu, seu fide publica Legatis Pontificijs (a) data sic loquitur: *Exhortatur omnes & singulos Christi fideles, cujuscunque dignitatis, gradus, aut præminentie existant, spiritualis seu temporalis, etiamsi Regali fulgeant Dignitate, atque in virtute sanctæ obedientie mandat, ut si per eorum dominia, terras, Civitates, territoria, aut alia loca transire contingat, sub pena, sententijs & censuris, tam Constantiensis, quam hujus sacra Synodi decretis conventis & fulminatis, districte injungendo, quatenus vos & vestrum quemlibet cum vestra Comitiva securos, liberos, & tutos cum rebus vestris ire, stare & redire sine molestia & impedimento permittant, &c.* Pœnæ verò à Concilio Constantiensi (b) decretæ, quarum Basileenses meminerunt, habentur in hæc verba sess. 17. *Quicumque cujuscunque status aut conditionis existat, etiamsi Regalis, euntes vel redeuntes impediverit, aut perturbaverit, sententiam excommunicationis incurrat, & ulterius omni honore & dignitate ipso facto sit privatus.* Episcopi ergo Galliæ, qui magno numero, nec minori auctoritate Concilio tunc aderant, sentiebant, Reges, etiam quod temporalia spectat, Ecclesiasticæ potestati subiacere; quod præsertim argumentum contra Maimburgum (c) valet, qui decreta Basileensis Concilij valida, & ab Eugenio confirmata esse omni studio contendit.

XXII. Anno MDLXIII. In Synodo Oecumenica Tridentina Sessione 25. (d) cui Galliæ Episcopi & præsertim Cardinalis Lotharingicus intererant, omnium approbatione & consensu duella & monomachia prohibita, ijsque hæc pœna apposita: *Qui pugnam in duello commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiae penam incurrant, & ut*

Cccc homi-

(a) Concil. Basl. in Congreg. Gener. anno 1432. habetur in append. epistol. Conc. ap. Binium. T. 4. Concil. (b) Concil. Constant. Sess. 17. (c) Maimburg. Traité dell'eglise de Rome c. 25. (d) Concil. Trid. Sess. 25. c. 19.